



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. XI. Aliud argumentum diluitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

in ratione primæ causæ, & universalis provisoris, tenetur exhibere homini peccanti, ne lædat jura libertatis creatæ.

219.

Disp. 5.
art. 3.
§. 3.

Tertio confutari potest principalis responsio, argumento ad hominem, quod supra insinuavimus, decreta indifferentia impugnando. Nam licet secundum principia Adversariorum, concursus quo Deus cum causis liberis operatur, sit indifferens, & à voluntate creatæ ad speciem actûs determinetur, illam tamen determinat ad individuum. Unde cum in actu malo & peccaminoso, secundum rationem individuale considerato, reperitur aliqua specialis malitia & deformitas, quæ non includitur in ratione specifica illius; ea scilicet quæ petitur ex intentione graduâli, vel ex circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus; quæro an Deus per suum concursum, quo voluntatem determinat ad talem actum in individuo eliciendum, eam etiam determinet ad illam specialem malitiam & deformitatem quæ illi reperitur annexa, & quæ non convenit ei secundum suam rationem specificam, vel non? Si primum dicatur, sequitur Deum esse authorem alicujus specialis malitiæ, quæ reperitur in actu malo, secundum suam rationem individuale considerato: quod divinæ sanctitatis & bonitati repugnat. Si secundum affirmetur: cur similiter Deus non poterit per concursum prævium determinare voluntatem ad speciem actûs, in esse physico & naturali consideratam, & ad ejus entitatem & substantiam, abique eo quod illam moveat & determet ad malitiam, & deformitatem, illi ex defectibilitate creaturæ annexam? Et si in ratione individuali possit præscindi entitas actûs à malitia: cur etiam in ratione specifica, non poterit fieri eadem præcisio?

§. X.

Solvuntur objectiones.

220.

Objicies primò: D. Augustinus libro 2. de lib. arbit. cap. 10. differens de origine mali, & quæstionem quæ nunc discutitur, an scilicet Deus moveat voluntatem ad actus malos? D pertractans, sic dicitur: *Sed tu fortasse, quaesturus es, quoniam moveatur voluntas cum se averrit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde ei iste motus existat, qui profecto malus est, tamen si voluntas libera, quia sine illa nec rectè vivi potest, in bonis numeranda sit? Si enim motus iste, ad est averso voluntatis à Domino Deo, sine dubitatione peccatum est, num possumus authorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo: unde igitur erit?* Et quibusdam interjectis: ad quæstionem sic respondet. *Omne bonum ex Deo: nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo: motus ergo ille averseionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est: vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites.* Sic enim legi debet hic Augustini locus, non verò ut habetur in editione Erasmi, à Lovaniensibus emendata: *Et ad Deum pertinere non dubites.*

221.

Respondeo Augustinum ibi manifestè loqui de motu averseionis, ut defectivus est, & regulis morum difformis; sub qua ratione, non est à Deo ut à prima causâ efficiente, sed à voluntate creatæ ut à prima causâ deficiente: non negat tamen, sed potius ibidem clarè insinuat, motum illum voluntatis, ut physicus est & vitalis, à Deo ut primo
Tom. I.

A movente & primo vivente procedere: nam ibidem ait, quòd *omne bonum ex Deo est. & quòd nulla natura est, quæ non sit ab illo.*

Objiciunt secundò Adversarij plura Conciliorum, & SS. Patrum testimonia, quæ videntur militare contra nostram sententiam. Nam Concilium Arausicanum can. 25. anathema dicit in eos qui dicebant aliquos esse ad malum prædestinatos à Deo. Et D. Prosper ait, *Non esse Catholicum dicere, quòd qui non credunt Evangelicæ prædicationi, ex Dei prædestinatione, & constitutione non credant.* Item Augustinus in libro de articulis sibi falsò impositis, art. 10. *Detestanda & abominanda (inquit) opinio est, quæ Deum cujusque mala voluntatis, aut mala actionis credit authorem: cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est, universa enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas Virginum, non instituere novit sancta divinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire.* Et D. Prosper ejus discipulus, in resp. ad objectiones Vincentianas, hæc scribit: *Sicut Deus non indidit malo Angelo illam voluntatem quâ in veritate non stetit, ita nec hominibus illum affectum quo diabolus imitarentur inseruit.*

Respondeo Concilia & Sanctos Patres, in his & similibus locis, loqui de peccatis absolutè & simpliciter, & prout sunt in genere vel specie mali moralis, & secundum totum illud quod tam de formali quàm de materiali important. Vel loquuntur de materiali peccati formaliter considerato, & prout reduplicativè fundat ipsam malitiam & deformitatem, sub qua ratione non est à Deo, sed à voluntate creatæ, ut regulis morum subjecta. Vel si loquuntur de materiali peccati materialiter sumpto, seu de entitate & substantia actûs mali, in esse physico & naturali considerata, solum intendunt, talem entitatem non esse à Deo ut provisorie particulari, sicut dicebant quidam hæretici, qui volebant Deum aliquos homines speciali providentiâ ad actus malos prædestinare, ut in illorum punitione suam justitiam vindicativam manifestaret. Non negant tamen Concilia, & Sancti Patres, materiale peccati materialiter sumptum, seu entitatem & substantiam actuum malorum, à Deo, ut prima causa, & universali provisorie procedere. Imò sententia quæ hoc negat, à D. Thoma supra relato, errori propinquissima appellatur. Et in 2. sent. ad Annibald. quæst. unica art. 1. in corp. *Hæreticum (inquit) est dicere, aliquod ens, in quantum ens, non esse à Deo; nec solum fidei contrarium, sed etiam rationi.* Unde circa hoc observanda est regula, quam tradit idem S. Doctor in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *Quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sive in generali, sive in speciali, non potest dici quòd à Deo sit simpliciter: unde non potest dici absolutè, quòd peccatum sit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens.*

§. XI.

Aliud argumentum diluitur.

Objiciunt tertio quidam Recentiores hoc argumentum, quod insolubile appellant. Deus absoluto & efficaci decreto, inconsultâ hominis voluntate, vult quòd ille liberè, & cum advertentia rationis, in particulari, & cum omnibus suis
Xxxij

circumstantijs, hunc actum, v. g. odij Dei, eliciat; Sed impossibile est, quod homo liberè, & cum advertentia rationis, talem actum eliciat, nisi peccando: Ergo Deus absoluto & efficaci decreto vult quod homo peccet.

225. Respondeo primò hoc argumentum nihil concludere, & esse purè sophisticum: quia in eo variatur suppositio, & fit transitus à sensu materiali ad formalem, vel à specificativo ad reduplicativum. Nam in Majori ly *actus* sumitur pro materiali peccati, materialiter & specificativè sumpto: in Minori verò, pro materiali peccati, formaliter considerato, quatenus reduplicativè fundat ipsam malitiam & deformitatem. Unde illud argumentum eodem vitio & defectu laborat, quo istud. Anima absolutè & efficaciter vult tibiam curvam motu progressivo moveri: Sed tibia curva non potest motu progressivo moveri, nisi claudicando: Ergo anima absolutè & efficaciter vult quòd tibia curva claudicet. Vel quo istud. Deus efficaciter vult quòd Petrus à Paulo generetur: Sed Petrus non potest à Paulo generari, nisi peccatum originale contrahat: Ergo Deus efficaciter vult Petrum contrahere peccatum originale. Potest etiam formari simile argumentum ex principijs Adversariorum. Deus enim juxta illorum principia, absoluto & efficaci decreto vult ponere hominem in illis occasionibus & circumstantijs, in quibus prævidit per scientiam mediam illum peccaturum: Sed impossibile est quòd homo positus in illis occasionibus & circumstantijs non peccet; alioquin divina præscientia falleretur, & id quod Deus præscivit, non eveniret: Ergo Deus absoluto & efficaci decreto vult quòd Petrus incidat in peccatum.

226. Secundò responderi potest distinguendo Majorem. Deus absoluto & efficaci decreto vult quod homo eliciat actum odij: modo effectivo, concedo: modo defectivo, nego. Similiter distinguo Minorem, & nego Consequentiam.

Explicatur: Voluntas creata est causa actus odij Dei, & quoad realitatem, & quoad defectum. Et si adjuvetur vel determinetur sub utroque modo, & effectivo, & defectivo, seu involente utrumque: talis causa, vel movens, vel cooperans, vel adjuvans, etiam movet, & cooperatur ad peccatum. Si autem adjuvetur, vel foveatur, & causetur ille actus, sub præcisâ ratione entitatis, & quantum ad id quod in eo vitale & effectivum est, non ex hoc fit operatio vel influxus in defectum, sed potius est influxus obstant defectui, quia sustinet entitatem, ne absorbeatur à defectu, & destruat à malo.

227. Dices: Concurfus prævius causat actum, non solùm eo modo quo exit à Deo, sed etiam eo modo quo exit à voluntate creata; quia facit illam agere, eamque movet & determinat ut eliciat suo modo talem actum: Sed actus malus, v. g. odium Dei, eo modo quo exit à voluntate creata, peccatum est: Ergo Deus per concursum prævium movet & determinat voluntatem creatam ad peccandum, & suâ efficaci prædefinitione discernit peccantem à non peccante. Sicut in sententia Thomistarum, per gratiam efficacem discernit consentientem à non consentiente.

228. Respondeo distinguendo illam partem Majoris. Eo modo quo exit à voluntate creata: eo modo effectivo, concedo: defectivo, nego. Similiter distinguo Minorem: Sed actus malus eo modo

A effectivo quo exit à voluntate, peccatum est, nego. Eo modo defectivo quo ab illa egreditur, concedo. Solutio patet ex dictis, & potest explicari exemplo animæ moventis, & determinantis tibiam curvam, ut vitaliter, & effectivè se moveat, non tamen ut agat modo defectivo. Unde (inquit S. Thomas supra relatus) *Defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam; non autem in virtutem motivam: à qua tamen causatur quicquid est morionis in claudicatione.* Ex quo patet solutio ad illud quod subjungitur: cum enim Deus prædefiniat tantum entitatem actionis peccaminosæ, & nolit ejus malitiam, & defectum; suâ prædefinitione non discernit peccantem à non peccante, sed operantem à non operante.

Instabis: Si Deus absoluto & efficaci decreto prædefiniat materiale peccati, licitum erit, imò & laudabile homini, velle entitatem actus mali, v. g. odij Dei: Sed hoc est absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur: Licitum & laudabile est velle id quod Deus vult nos velle: Sed si Deus absoluto & efficaci decreto prædefiniat materiale peccati, vult nos velle entitatem actus mali: Ergo licitum erit & laudabile eam velle.

Confirmatur: Si Deus prædefiniat materiale peccati, sequeretur quod homo peccando peccaret, & non peccando etiam peccaret: Sed hoc est absurdum, & ridiculum: Ergo & illud. Sequela Majoris probatur. In primis enim homo peccando peccaret, ut manifestum est. Peccaret etiam non peccando, quia non se conformaret voluntati divinæ efficaciter volenti ipsum elicere actionem peccati. Item sequeretur quod Deus eundem actum v. g. odij veller, & noller: amaret, & odio haberet: illum enim veller & amaret, quia ipsum prædefiniat, & prædeterminaret: illum verò noller & averfaretur, quia prohiberet, & puniret.

Ad instantiam respondeo, negando sequelam Majoris. Ad cuius probationem, distinguo Majorem. Laudabile est velle id quod Deus vult nos velle, voluntate signi, consilij, præcepti, vel legis permissivæ, concedo. Voluntate generali primæ causæ, & generalis provisoris, nego. Nam hac voluntate generali Deus plura vult quæ non est laudabile, nec licitum velle: v. g. bella, pestes, incendia, mortem parentum, damnationem reproborum, & similia.

Ad confirmationem, nego sequelam Majoris, quantum ad secundam partem, quòd scilicet homo non peccando peccaret. Ad probationem in contrarium, responderetur hoc argumentum procedere ex ignorantia eorum quæ docentur in Tractatu de moralitate actuum humanorum, de obligatione se conformandi divinæ voluntati. Ibi enim communiter dicitur, non esse malum se non conformare divinæ voluntati in voluto materiali: hoc est non velle id quod Deus vult, nisi quando id nobis innotescit per præceptum. Si enim nobis non innotescat Deum aliquid velle, aut non innotescat per præceptum, sed aliâ viâ: possumus licitè velle oppositum, imò aliquando tenemur sub peccato; ut quando est malum alicui, aut habet annexum aliquid prohibitum. Non constat autem homini, quòd Deus ab æterno prædefiniat, ipsum materiale talis peccati eliciturum. Et si postea ex effectu id innotescat, non tamen per præceptum: unde non peccaret, sed beneficeret, si actum illum non poneret.

233. Ad secundam inconveniens, dicendum est quod sicut nulla est implicantia quod Deus actum odij causet, secundum entitatem, actualitatem, vitalitatem, & alias rationes ad ordinem physicum, & lineam entis pertinentes, & in ipsum ut in ultimum finem reducibiles; & illum non causet secundum quod est moraliter malus, & regulis morum difformis, & prout ab ipso ut ultimo fine avertit. Ita etiam nulla est repugnantia, quod eundem actum velit & nolit, prædefiniat & prohibeat, diligat & aversetur, secundum diversas illas rationes, & formalitates. Id patet exemplo animæ, quæ vult & causat motum progressivum tibie curvæ, quatenus est physicus & vitalis, non tamen, quatenus est deficiens, & obliquus. Et Deus positivè vult & causat actionem consecrativam sacerdotis consecrantis propter fortilegium, quatenus est supernaturalis, & productiva corporis Christi sub speciebus Eucharisticis; licet eam nolit, aversetur, & prohibeat, quatenus est mala, & sacrilega. Denique sicut hæc duo non repugnant, quod scilicet iudex velit hominem vivere, in quantum homo est, & eum occidere, in quantum malefactor est: ita etiam nulla est implicantia, quod Deus voluntate antecedenti, quæ ab æterno voluit quod nullus peccaret, & omnes homines salvi fierent, & ex qua oriuntur consilia, præcepta, & auxilia solum sufficientia ad evitandum peccatum, nolit & prohibeat actum peccati, quatenus est malus, & regulis morum difformis; & quod voluntate consequente, quæ ut generalis provisor vult permittere peccata, & subministrare causis liberis media necessaria ad agendum; & quæ ut primum ens, & primus actus, vult producere entitatem, & actualitatem in omnibus rebus creatis, eundem actum, sub ratione entis & actus, efficaciter velit, & prædefiniat; voluntatemque applicet, & prædeterminet ad eum eliciendum.

234. Instabis rursus: Quidquid Deus ad extra operatur, pertinet ad justitiam & misericordiam: juxta illud Psalmi 14. *Universe via Domini misericordia & veritas.* Sed prædeterminare voluntatem hominis ad materiale peccati, non pertinet ad justitiam, saltem in primo peccato quod committit, quando non se convertit in Deum, in primo instanti usus rationis, juxta doctrinam Divi Thomæ, cum permissio primi peccati, non possit esse pœna alterius. Nec etiam id pertinet ad misericordiam, cum homo operando actum peccati, in maximam potius incidat miseriam, quam sublevetur ab illa: Ergo Deus voluntatem creatam ad materiale peccati non prædeterminat.

235. Respondeo distinguendo Majorem. Quidquid Deus ad extra operatur, ut particularis provisor, pertinet ad justitiam, & misericordiam, concedo. Quidquid operatur, ut prima & universalissima causa, & ut provisor generalis, nego. Unde cum creatio, conservatio, & concursus, ad Deum ut primam causam, & universalem motorem, ac generalem provisorum pertineant, non est necesse quod illæ operationes pertineant ad ejus justitiam & misericordiam, sed sufficit quod spectent ad generalem illius providentiam. Quamvis etiam in prædeterminatione ad materiale peccati, aliquo modo illa attributa reluceant. Quia ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 4. misericordia sumi potest dupliciter. Primò propriè, pro remotione miseriarum, quæ est defectus creaturæ rationalis, quam solum contingit esse

Tom. I.

A felicem. Secundò pro remotione cujuscumque defectus. Et hoc modo relucet in prædeterminatione ad materiale peccati, quia per eam removetur carentia actus secundi, quæ est quædam imperfectio & defectus voluntatis creatæ. Relucet etiam justitia, quia fit secundum modum convenientem divinæ sapientiæ, quæ debet permittere ut creaturæ defectibiles aliquando deficiant, & illis subministrare media necessaria ad agendum; & secundum modum creaturæ rationalis, qui in libertate consistit. Præterea in prædeterminatione ad materiale cujuscumque peccati, etiam primi, quod puer committit, dum se in primo instanti usus rationis, ad Deum (saltem implicitè, & sub ratione boni honesti) non se convertit, specialiter relucet divina justitia. Quia, ut infra dicemus, & latius ostendemus in materia de prædeterminatione, permissio primi peccati, quæ non solum includit volitionem denegandi auxilium efficax, sed etiam concurrenti ad materiale peccati, & subministrandi media necessaria ad agendum (inter quæ applicatio potentie præcipue numeratur) fit in pœnam peccati originalis, & dependet ab ejus prævisione in genere causæ materialis & occasionalis; eoque ferè modo, quo Thomistæ, & plures alij docent in Tractatu de Incarnatione, decretum Incarnationis à prævisione ejusdem peccati dependere. Eademque ratione, in prædeterminatione ad materiale peccati, interdum splendet divina misericordia; quia sicut in reprobis permissiones peccatorum, sunt effectus reprobationis; ita & in electis sunt effectus prædeterminationis, quæ est actus divinæ misericordie. De *Disp. 3. art. 5.* quo in Tractatu de prædeterminatione, & reprobatione.

§. XII.

Alia objectiones solvuntur.

236. **O**bjicies quartò: Si Deus prædeterminaret hominem ad materiale peccati, & ad ponendum actum positivum malitiæ substratum, illum tentaret, seduceret, & implanaret: Sed hoc non est dicendum, nam ut habetur Jacobi 1. *Deus intentator malorum est: ipse autem neminem tentat,* & Ecclesiastici 15. *Ne dicas, ille me implanavit:* Ergo Deus non prædeterminat voluntatem ad materiale peccati. Sequela Majoris probatur. Ille dicitur tentare aliquem, ipsumque seducere, & implanare, qui movet illum ad eliciendum aliquem actum, à quo scit malitiam esse inseparabilem; hæc enim ratione diabolus dicitur tentare homines, eosque seducere, & implanare; quia movet illos & invitat ad eliciendos actus à quibus malitia separari non potest.

237. **C**onfirmatur: Si Deus præmoveret moraliter hominem ad materiale peccati, præcipiendo, suadendo, vel consulendo actum à quo malitia est inseparabilis, verè diceretur illum tentare, seducere, & implanare, ac censeretur author & causa peccati: Ergo à fortiori, si illum physicè moveat, & prædeterminet ad talem actum eliciendum. Consequentia patet: motio enim & prædeterminatio physica, cum sit ex se, & ab intrinseco efficax, habeatque nexum indissolubilem cum operatione, est multò major & vehementior, quam moralis, quæ extrinsecè solum & objectivè allicit & invitat agens ad operandum.

Xxx iij